

1701

34
333

IN
1171
1171
1171
1171
1171



INDEX DISPUTATIONUM

- | | |
|---|--|
| <p>XII Disput. vide p. 4
sub Praesidio S. Frid. Bal
duini.</p> | <p>22 Caroleadius redivivus
contra Calvinianos Pr. G.
Georgii Mylii.</p> |
| <p>13 De verbis testamenti Iesu
Christi filii Dei, hoc est
corpus meum, hoc est sanguis
meus Pr. Balduini.</p> | <p>23 De verbo Dei scripto,
et traditionibus non
scriptis. in Disputationes
X distributa. sub Praes.
D. Leonhardi Hutleri.</p> |
| <p>14 De Prae destinatione
Pr. D. Jos. Gerhardi</p> | <p>Indice decem Disputationum
vide p. 2. in disp. 1.</p> |
| <p>15 Oratio de Frederico Myco.
Theologo constantis. et
primo Thuringorum Evangelista
Ab. D. Ant. Erbo</p> | <p>34 Erenologia de obitu
Principis Frederici Wilhelmi
Hutleri D. Georgio Mylio.</p> |
| <p>16 De Dei et Christi Oratio
nostrae Mediatoris nostri, apud
creaturas gubernandas
universali et speciali pre
sentia. D. Bal. Mentzneri
D. Iust. Feurbornii</p> | <p>35 Panegyris Actus Doctore
juniorum Consultum i. e. Jos.
Stigeli de inauguratione
Hecad. Salana.</p> |
| <p>17 Abstergio Calumniarum
Jos. Coccii. Pr. Balb.
Mentzneri.</p> | <p>36 Modus inveniendae Concordiae
in contrav. De electione ad
vitam a Sam. Hutlero D.
in Morte Principis Saxoniae</p> |
| <p>18 De Baptismo conclusionibus
comprehensus. Pr. D.
Petri Biscauris</p> | <p>37 Ad Tragediam Virgilianam
de Aenea et Lavinia</p> |
| <p>19 De persona Iesu Christi ser
vatoris nostri Pr. D. Ambro.
Reudenio</p> | <p>38 166 Selectiones Epistolae D.
ps. Melanesthonis ad D. Frid.
Myconium conscriptae et</p> |
| <p>20 De Baptismo initiationis
Sacramento Pr. D. Georgii
Mylii</p> | <p>39 De viro sancto Martino
Lutbero.</p> |
| <p>21 De visitatione eccle
siastica Pr. D. Georgii
Mylii.</p> | <p>40 Votum nuptiale</p> |



17 16 39

AD TRAGOEDIAM
VIRGILIANAM

De
ÆNEA ET LAVINIA

CRASTINA LUCE
SUB PRIMAM POMERIDIANAM
σὺν Θεῶ HABENDAM
AMPLISSIMUM ET PLURIMUM
VENERABILE

DNN. INSPECTORVM

COLLEGIUM,
AC DOCTOS OMNEIS,
SUB MISSE, OFFICIOSE, HUMANITER
INVITAT

VALENTINUS Berger ILL. RU-
THENEI CONRECTOR.

G E R Æ,
LITTERIS HEREDIS ANDREÆ MAMITZII
ANNO MDCCCLVII.





H Si non dubito hodiernâ adhuc tempesta-
te inveniri, qui cum Concilii Carthaginensis
IV. dictatoribus Clementeque Romano ut gentilium
scriptorum omnium, ita poetarum quoque libros non le-
gendos autument, spero tamen eos jure atque in facili
exploratum, qui optima quaeque apud more colligendi cupidus,
Christianam modestiam & modum asservaturus, non patres sanctos
duntaxat, sed ipsos etiam θεοπνεύστους viros in profanorum poetarum
lectione versatissimos fuisse meminerit, recogitaverit secum ingen-
tem illum exinde redundantem usum. Ecquis n. ignorat, Paulum
gentium magistrum coelestisque paradisi spectatorem, testimoniis esse
usum Arati, Menandri, Epimenidis, seu, ut alii volunt, Callimachi?
Sanè priscorum poetarum scripta plurima sunt, quorum industriori
lectione non laudatissimam solum Poësis, quam primam & anti-
quissimam philosophiam Caelius Rhodiginus appellat, sed & ipsam
eloquentiae artem excolere possumus ritè: ut in quibus omnis gran-
ditas orationis, omnis peregrina & ab vulgari consuetudine abhor-
rens conformatio verborum, omnes tropi figuraeque insigniores le-
ctoribus affulgent: ut taceam morum atque rerum abstrusarum,
quas non in paucis sub fabularum involucris atque modis aliis pro-
ditas invenimus, jucundissimam gravitatem; cujus causâ philoso-
phiae rudes nec amare, nec intelligere poetas posse dixit commu-
nis praeceptor Germaniae, Germaniae phoenix passim, Philippus
Melanchthon. Praeprimis verò Publium Virgilium Maronem omni
operâ atque curâ lectitandum verè doctum quemque mecum consen-
tientem habere me confido: quem inclutum Ruthenae nostrum
ab ipsis suis incunabulis cum quibusvis propemodum scholis cele-
bribus scimus coluisse, proposuisse discipulis accuratius evolven-
dum enucleandumque: cujus libris nullos similes esse scripsit Aelius
Spartianus: quem antiquitatis altissimum gurgitem Hadrianus Ju-
nius, Latini eloqvii magnum auctorem, poetam magnum, omni-
umque praeclarissimum atque optimum Augustinus, non minus ora-
torem, quam poetam Macrobius appellat: quem decem Rhetor-
rum

rum, qui apud Athenas Atticas floruerunt, stylos inter se diversos permiscuisse, cujus gloriam nullius laudibus crescere, nullius vituperatione diminui. idem Aurelius Macrobius, reconditissimae scientiae vir, fatetur: cui inesse phrasin regiam & ipsius Apollinis ore dignam, quo nec ipsum Jovem, si poeta fieret, melius loqvuturum, cujus verius neminem mortalium aequare valere, quem unum sci- vi se, quid esset non ineptire, quem cum poësi junxisse philosophiam, excussisse philosophiae penum scribit Scaliger. Æsculapius ille rei litterariae. Quae causa me permovit, ut anno superiore eminentissimi poëtae quatuor libros priores Æneidos in formam Tragoediae redigerem, ita ut non sublimes illos dialogismos solum, quos continent, verum ea etiam, ex quibus dialogismi poterant strui, intra privatos parietes explicata darem eodem Heroico carminis genere *naddvauu* elaboranda. In quo etiam Tragoedia certè, cum ad votum flueret, in publicam producta scenam fuisset, nisi Perillustrum illa & Generosissimarum Heroinarum praesentia, quâ illustrabatur, vernaculam linguam poposcisset. Quod ergo tum non factum, cras *σὺ* *Θεῶ* facturos nos speramus, dum aliam Tragoediam ex ejusdem decantatissimi vatis alteloquentissima Scaligero dictae Æneidos libris reliquis pari conamine atq; ductu concinnatam in publicum sistere theatrum lubet. Cujus materies cum personis personatisq; omnibus ac singulis locuturis per Actus atq; Scenas se sic habet. Praemisso Prologo (*Augusto Schäffer Halâ Saxone*) in Actus I. Scena I. Venus (*Johannes Henricus Alberti*) & beneficiorum Æneae filio ab Aceste praestitorum, & sacri anniversarii manibus Anchisae facti, & certaminum jucundâ cum alacritate peractorum memor, Siculis litoribus ac campis benedicet, tandem apud Neptunum (*Christianum John Saidâ-Misnicum*) naviganti Æneae mare tutum ac tranquillum cum Amore (*Conrado Dümmer Gerano*) exoraturus. In Scena II. Somnus (*Joachimus Weise Mariaemontanus Misnicus*) succumbentem Palinurum (*Tobiam Fabrum Altenburgô Misnicum*) ramo illo vi Stygiâ soporato in mare excutiet. In Scenâ III Æneas, (*Andreas Dümmer Geranus*) Cumas incolumis advectus, Achaten, (*Eliam Camerarium Halâ Saxonem*) ad antrum vatis Sibyllae (*Johannis Adami Sörgels Jenâ Thuringi*) mittet: eâ monente, cum Achate, Anteo (*Georgio Chilecio Feschinio Silesio*) Cloantho (*Daniele Siego*



Stegfriedt Slaizensi) Mnestheo (*Martino Göke Grais'icensi*) Gya (*Jo-
hanne Dettler Weidenfi*) Apollinis oraculum consulturus: immi-
nentia pericula, futuriq; belli felicem exitum edoctus, Miseni, prae-
clari tubicinis, cadaver praedictum litore inventum exurendum,
curabit componendumq;. In scenâ IV. idem Aeneas columbarum
ductu perveniet ad aureum illum & à Sibyllâ desideratum ramum:
quò decerpto, per Averni fauces, Sibyllâ duce atq; facundissimâ pas-
sim interprete, inferos aggredietur, praeter alios inventurus Pali-
norum necis suae modum miserabilem recensurum: deinceps à Cha-
ronte inferorum nautâ (*Fridericico Löwmann Weidâ Varisco*) vitupe-
ratus, post rami aurei obtutu exhilarato Stygiam paludem unâ
cum Sibylla trajectus: In scena V. sopito medicatis offis Cerbero,
loca permeabit limbo infantum atq; purgatorio Pontificiorum
haut absimilia: in sedibus eorum, qui bello claruerunt, collocutu-
rus cum Deiphobo, Priami filio, os ambasq; manus crudeliter lace-
ro (*Georgio Wende Glashüttâ Misnico*) tandem moenia Plutonis sub-
iturus, ramo in ipso regiae limine defixo. In scena VI. in campum
Elysium intraturus, à Musaeo vate ad Anchisen (*Gotthofredum Gün-
ther Bergensem*) perducetur patrem, futurorum Albanorum Roma-
norumq; regum catalogum, aliorumq; nobilium nomina ac laudes
recensurum. In Actus II. scena I. Amata (*Johannes Huttenus Tripti-
censis*) Latinum regem conjugem (*Johannem Pfeiffer Geranum*)
consultabit de Laviniâ filiâ viro elocanda. In scena II. Aeneas ad
superos ac socios reversus, relictis Cumis & Cajetâ, ad Tyberis lito-
ra delatus, ex penuria cibi quadrarumq; devoratione cogniturus ter-
ram sibi debitam, à Viatore (*Johanne Ernesto Schulz Slaizensi*) Lati-
ni regis Laurentumq; statum omnem edoctus, Ilioneum muneribus
ablegabit ad petendum urbis condendae locum. Quem tunc in sce-
na III. rex Latinus humanissimo excipiet vultu, praeter postulata,
Laviniam filiam Aeneae ultrò sponsurus conjugem. In scena IV. Ju-
no (*Fridericus Körber Aurobachio Variscus*) prosperis Trojanorum
rebus offensa, Alecto (*Johannem Reiske Geranum*) ad disturbendam
pacem ab inferis evocabit, primum Amatae, Latini regis uxoris, de-
inde Turni atq; ipsorum rusticorum in Trojanos furores ac impetus
suis furiis accendendos relaturam. In scenâ ergo V. Amata conju-
gem Latinus furibunda adibit, flagitatura, ut Laviniam (*Johannem
Michae-*

Michaelem Berther Schmidebusâ Thuringum) in matrimonium Turno collocet: nihil effectura, eam virginali verecundiâ se excusaturam secum in sylvam rapiet, cavernosis montibus, ne Aeneas ejus compos fiat, abdendam. In scenâ VI. Alecto Calybes, sacerdotis vetulae, vultum assumptura, Turnum adversus Aenean in arma exhortabitur. In scenâ VII. eadem Furia Trojanorum aggredietur venationi incubituram juventutem, objectura eidem cervum cicurem, Tyrrii, armentarii regii, familiae imprimis charum. Quem Ascanii seu Iuli, Aeneae filii, sagittâ sauciatum, statim ac viderit, Sylvia, Tyrrii soror (*Johannes Heinricus Grünter Schwarensis*) convocabit vicinos: qui tunc arreptis armis, Alecto classicum canturo, impetum in Teucros facient, casuris in eò tumultu Almone, Tyrrii filio natu majore, Galesoque. In scena IX. Turnus (*Christianus Sletert Geranus*) & agricolae ex acie servati, ac civem regem Latinum, ad bellum suscipiendum, injuriamq; manu vindicandam exstimulabunt. In Actus III. scena I. Latino omninò recusante bellum indicere Trojanis, gestaturi arma cives (*Christianus Reyer Numburgensis; & Nicolaus Francke Hartislebiô Thuringus*) Turno referent, quò pacto Juno ipsa belli portas aperuerit, quàm sollicitae sint in comparandis novandisq; armis urbes magnae. Post adventabunt Mezentius (*Hartmannus Kreuch Obrdruviô Thuringus*) Aventinus (*Johannes Conrad à Steinsdorff Eques Variscus*) Catillus (*Samuel Grieser Weidâ Variscus*) Caeculus (*Christianus Hender Friburgô Thur.*) Melapus (*Johannes Weidlich Neosalisâ Varisc.*) Clausus (*Christophorus Koffer Staizensis*) Halesus (*Johannes Pfeil Numburg. Thur.*) Oebale (*Johannes Rolle Numburg.*) Ufens, (*Simon Müller Lobenst.*) Camilla ex Volscorum genere, virgo fortissima (*Jon Albertus à Meißbach Eques Thuringus*) quorum quilibet cohortibus suis Turno fidem atq; industriam pollicebitur. In scena II. dormientem Aenean Tyberinus (*Antonius Schulke Francofurtensis ad Oderam*) accedet, ad Evandri Regis opem implorandum moniturus. In scena III. Evandrus Rex cum suis ac Potitio sacerdote (*Sigismundo Sacco Brambacense*) Herculis festum celebraturus, adventus causâ cognitâ, Aenean benignè excipiet hospitio, saerisq; quibus erit intentus, adhibito causam sacrificii ac ritus, locaq; praesentis tractus manifestabit. In scena IV, Vulcanus (*Jacobus Neuschel Weidâ Variscus*)

Vc.

Veneris uxoris victus blanditiis, Æneae privigno suo arma promittet adversus ictus omnes duratura. In scena V. Brontes (*Johannes Dase Cizensis Misnicus*) Steropes (*Johannes Weser Bergensis*) Pyracmon (*Johannes Schmidt Schwarzensis*) Vulcani jussu arma fabricabuntur Æneae. In scena VI. Evandrus (*Johann Georgius Gumprecht Budissâ Lusatus*) Ænean spe potiundi Hetruscorum subsidii oblectatur, Agyllam, Tyrrhenorum florentissimam civitatem, sese ut conferat, hortabitur, Pallantem, filium unicum (*Balthasarem Calenberger Bergensem*) cum quadringentis equitibus ei se additurum promissurus. In scena VII. idem Evandrus Pallantem, discessurum jam filium, alloquetur. Scena IIX Venerem producet Æneae, nato arma à Vulcano procusa in viâ sub arbore deposituram. Scena IX, sistet Iridem (*Casparum Christophorum Dauderstadi Dresdensem*) Turnum jussu Junonis monituram, ut absente Æneâ, & in Hetruriâ conquirendis auxiliis occupato, tantam tam benè gerendae rei occasionem arripiat, copias admoveat ad hostes. Id quod in Actus IV. scena I. Turnus faciet, Teucrorum moenibus se continentium, neq; aequo loco dimicandi potestatem facientium naves facibus accendere cõburereq; jussurus. Ovas singulas à Berecynthiâ (*Johanne Casparo Müller Lobensteinense*) incendio ereptas ejusdemq; imperio in Nymphas totidem conversas cum intellexerit Turnus, non se monstra, sed Trojanos petere asseveraturus, suos eò fortius adverso hostes animabit: nocte jam imminente, excubias adversus hostium eruptiones disponet, praeficiet Melapum. In scena II. Nisus (*Augustus Schenck Cygneâ Misnicus*) & Euryalus (*Christianus Schmidt Geranus*) indissolubile illud par amicorum, unanimi consensu extra moenia se ad Ænean recipere proponent sibi, ad faciendum eum de tantò periculo certiores: atq; ideò in scena III. ab Iulo & Trojanorum ducibus multis magnorum praemiorum pollicitationibus urbe emittentur. In scena IV. Turno instructa acie obsessorum muros iterum invadente, Rutulorum unus à Volscente confessorum Nisi atq; Euryali capita monstrabit arrectis hastis affixa, Rutulorum ab ipsis trucidatorum numerum magnum recensurus. Deinceps Numanus Remulus (*Johannes Franc Weidensis*) obsessorum Teucrorumq; omnium superbus illusor, interjactandum ab Ascanio jaculo trajectus, Apolline (*Josepho Günthero Eodi Gerano*) applausuro, cadet. In
scena

scena V. Venere ac Junone de Trojanorum Rutulorumq; salute in
Deorum concilio altercaturis, reconciliatione frustra tentata, Ju-
piter (*Johannes Gruber Plaviensis*) ne unam harum laedat, se neu-
trarum partium studia secuturum, pro sua aequitate omnia facis
permissurum pronuntiabit. In scena VI. Aenea ex Herruriâ classe
paratissimâ ad suos in hostium usq; conspectum revento, jamq; ex-
posituro copias, oppugnatione relicta, Turnus Rutulos ad occuren-
dum ad litora, prohibendû terrâ hostem, suos ad fortiorem capiendû
animum Pallas incitabit Evandri filius, mox ipse Turni ense casu-
rus. Cui tû summo percitus dolore Aeneas multos Rutulos, ipsumq;
Mezentium, atq; ejus filium Lausum in ferias mittet, victoriam de-
portaturus. In Scenâ VII. Aeneas occisum Pallantem deplorabit, e-
jusdem corpus patri remissurus. In Actus V. Scenâ I. Drances, orator
à Latinis missus, (*Justus Jonas à Rospoth Eques Variscus*) duodecim
dierum inducias impetrabit ab Aeneâ. In Scenâ II. Pallas occisus
summo patris Evandri excipietur luctu. In Scenâ III. Latinorum
mulieres (*Johannes Greller Leisnicensis*) (*Salomon Hendrich Wei-
denfs*) (*Johannes Poeschner Geranus*) (*Felix Spitz Ronnenburgensis*)
(*Job. Henricus Amelung Geranus*) de suorum caede conqverentur. In
Scenâ IV. Venulo (*Friderico Amelung Gerano*) à Diomede, ad quem
sub belli initium mittetur, reverso, totiq; convocato concilio auxi-
lia sibi denegata renunciatur, Latinus de summâ belli consultabit,
Legatos de pacis conditionibus ad Aenean mittendos censurus. Ubi
Drances & Turnus pro inveterato inter se odio, in mutua convitia
erumpent, donec hostis urbi imminentis velocem adventum pate-
faciat nuncius (*Gothofredus Heinrici Stechenfs*) concilioq; sine fruge
dimisso, Camilla, Volscorum Heroïna, Turno militare suum offi-
cium ac promptitudinem de novo offerat, praeficiatur cum Mesapo
copiis equestribus. In scena V. Diana (*Casparus Ziegler Geranus*) O-
pin ministram (*Johannem Casparum Bertramum Numb. Thuring.*) al-
loquetur de Camillae mox futurâ nece indicandâ. In scena VI. Ca-
millam, prius hostium datâ strage, ex insidiis trajiciet mox ipse ab
Opi trajiciendus Aruns: post, Rutulis fugam capessentibus, Acca
(*Johannes Georgius Schmidt Geranus*) in cujus gremium Camilla
moribunda illapsa, Turno ex angustiarum obsessione adventaturo
mortem Camillae Volscorumq; interitum & fugam annuntiabit.
In

In scena VII. attritis duobus adversis praeliis Latinorum viribus, animisq; fractis, Turnus omnem spem suam in seipso sitam arbitraturus, frustra disvasuro Latino, Amataq; multis cum lacrymis nequicquam retentura, singulari certamine cum Ænea congredi statuet, atq; illū hujus rei perqvendā ex suis faciet certiozem. In scena IIX. Æneas sibi à Turno oblata conditione laetabitur: ad qvam impediendā Juno coelo Juturnam (*Christophorum Wohlwerth*) mittet. In scena IX. Latinus, Turnus & Æneas solenni utrinq; sacramento singularis certaminis conditionem sancient, sancitam Rutuli novo in Trojanos impetu, Juturnae auxilio, perturbabunt. Turnus autem statim atq; ex Sage (*Johanne Schnetter Eisenbergense*) intellexerit, Ænean oppugnandae urbis consilium cepisse, fulminare armis, summas se minari dejecturum arces, faces ad tecta jam volare, regnam manus sibi intulisse violentas, ex praescripto foederis Ænean ad singulare certamen, Juturna reclamante, provocabit: tumq; Juno à Jove certior facta extremam atq; inevitabilem necessitatem Turno appropinquasse, certoq; futurum esse, ut Æneas Laviniae regniq; potitus, cum suis Latinorum & mores, & sacros ritus, & ipsum deniq; nomen adsumat, acquietura mentem à Turno laeta retorqvebit, dilabeturq; coelo Jovis jussu una ex furiis in bubonis forma Turno obviam ventura. In scena ultima Æneas pugna superior spoliabit Turnum vita. Haec series, hic ordo, haec argumenta sunt Tragoediae nostrae ingenuae juventutis soboli non parum, ut speramus, profuturae. Cui ut Amplissimus & plurimum venerabilis Gymnasii nostri Senatus, & reliqvus litteratorum conspicabilis chorus interesse ne dedignetur, submisit, officiosè, perhumaniter, rogamus. P. P. Gerae ad Elystrum d. XXIII. Octob. cl. lxxc L. VII.



X.

Causae motrices alie externe sunt, ut itus, casus,
exagitatio ab aestu, a balneo, ab exercitatione, ab
motu, a forti contentione, a motu corporis, a
horrore post febrilem cibum, a subita refrigeratione.
Alie interne sunt, ut immoderata copia sanguinis gra-
uis naturae, & irritans exultricem, vel tenuitas
aut feror sanguinis. Quandoq; in parte recipiente ca-
lor aut dolor, quo fit vel agerit attractio.

XI.

Ad has causas accedit imbecillitas laterum, pro-
pter quam non prudens attrahitur, sed tamen promptius
excipitur humor.

XII.

Ex his insistentibus causis, prout Hippocrates
initio experitur fomentis temperate calidis, quod intel-
ligimus de habitu corporis non phetorico, ut scilicet
& morbum tollat & dolorem leniat, ne ratione doloris
augeretur afflicta.

XIII.

Si dolor non cedat fomentis, & phetorico humore
tenuis

EXCIPITUR HUMOR



2.8. Gloria in excelsis deo

~~||: V. humiliter deus noster in unum deum
conmunicata sunt in eo mundum esse deum.~~

~~Calo. uny. hoc argto:~~

~~gloriam in excelsis deo
in carni deo conuincit; quia gloria in excelsis deo
in carni deo conuincit; quia gloria in excelsis deo~~

NO. 1. EX. 10. PRODU...





94 A 7359

ULB Halle 3
002 625 679



Sb.

Retro

LD 117






1
XIII
13
80
131
132

1
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200

131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200



inqu
yde
s sic
tæ
inc
bere
enu
orte
gel
m r
que
ntes
erit
nesc
ibi
rur
IV
RE
lcro
ubat
i fam
o sub
tria
Muse
cos n
studi
onidu
relligi
caus
uitar
ocelli d
i Dew
eritu
num
uitur
Té



17 16 39

AD TRAGOEDIAM
VIRGILIANAM

De
ÆNEA ET LAVINIA

CRASTINA LUCE
SUB PRIMAM POMERIDIANAM
σὺν θεῶ HABENDAM
AMPLISSIMUM ET PLURIMUM
VENERABILE

DNN. INSPECTORVM

COLLEGIUM,
AG DOCTOS OMNEIS,
SUBMISSE, OFFICIOSE, HUMANITER
INVITAT

VALENTINUS Berger ILL. RU-
THENÆI CONRECTOR.

GERÆ,
LITTERIS HÆREDIS ANDRÆE MAMITZII
ANNO MDCCC.LVII.

